

78  
22

VIRO  
MAXIME REVERENDO, AMPLISSIMO  
ATQVE CLARISSIMO  
DOMINO  
**EPHRAIM**  
**PRÆTORI**  
*SENORI PAC ASTORI AD ÆDEM B. MAR.*  
*VIRG. THORUNII MERITISSIMO,*  
*SECUNDAS NVPTIAS :*  
*FELICITER*  
*D. 14. JUL. ccccccXI.*  
*INEUNTI*  
*CUM*  
*PUDICISSIMA ET FLORENTISSIMA*  
*VIRGINE*  
**ELISABETHA**  
*VIRI*  
*SPECTABILIS ET PRUDENTISSIMI*  
**DN. WILHELCMI**  
**LENSKI,**  
*SCABINI NEAPOLITANI AP. THORUNENSES*  
*DEXTERIMI*  
*FILIA UNICA atque DILECTISSIMA,*  
*AFFECTVM ET GRATVLANDI OFFICIVM*  
*PRÆSTABANT*  
**RECTOR. AC PROFESSORES, RELIQVIQUE**  
**DOCENTES IN GYMN. THORUN.**

---

THORUNI, Impressor JOH. NICOLAI, NOBISS, SENATUS & NVMNASII Typographus.



שיר הכלולות:

וְאֵת רָעִנָּן פּוֹלִי נַאכְתָּ

וְוְאוֹנֶשׁ כּוֹר פְּרָאוּרִיגּ מַאֲכָתּ :

דָּעַנְרָפְּעָרָנִי דִּירִי אָונִי וּוְיכִי :

דָּר הַוּוִיטָגִי טָג אַרְיוּכִי

וְוְאוֹפְּרָיוּדוּ בְּרִינְגְּן קָאָן :

הַוּוֹת פְּאַנְגְּט אַיִן בְּוִינְרָנוֹשּׁ אַיִן :

דוֹאָן וּוְירָאָה הוּפְּן :

דוֹזּ עָשָׂו וּוְאָל גִּיטְרוּפְּן :

דוֹגָאָט וּוְיָרָט זִוְּנִי קְרָאָפְּט :

אַיִן וְוְאוֹזּ וּרְגָנוּגָוָנָג שָׁאָפְּט :

בַּיְדָוָסּ נְוִיאָן לְעָבָן :

אַיִן פּוֹלָן זִיגְגָּן גִּיבָּן :

גָּבָר עַרְכָּת בְּתִיקּ :

כּוֹן מְתַחְתָּן בְּנֻרָה :

וְשָׁמָר בְּתִיקּ וּבְרוֹאָקּ :

וְצִילָּח הוּא כָּל עַלְילָה :

*Neonymphis omnem felicitatem*

*apprecatus, scr. ex animo*

*P. Iacchius, Gymn. R.*

**O**ra premunt homines, lingvæque silentia servant,  
Cum certæ posita est clausula certa rei.  
Ad colophona prius res quam ducatur honestum :  
Quot non verborum semina lingua serit?  
In primis si quis pia fœdera querit amoris,  
Atque vagam Venerem despicit atque fugit.  
Tunc multis petitur verbis, illisque sinistris,  
Quæ vel Aristoteles diceret esse nihil!  
Si castus loquitur cum casta, Sponsus habetur,  
Atque tori fertur querere delicias.  
Si viduus Viduæ limen frontemque salutat,  
Mox sponsi pulchro nomine comptus erit,  
Si peregre vadit, vereres repetitque Penates,  
Ut det sinceræ pignus amicitiaz:  
Vel si præclaros, charosque invisit Amicos,  
Officii reddens munia grata sui,  
En! veniet [rumor] Sponsus, Sponsamque maritam  
In thalamum ducet, cui gravis ære manus.  
Hæc ubi diffugiunt, paleæ ceu turbine pulsæ,  
Tum querunt rastro rem fodicare novo.  
Divitiis pollet, Sponsus, tamen optat habere  
Nummorum cumulos: esuriemque probat.  
Quin posset sacro viduam sibi fœdere egenam  
Jungere, vel dextram, Virgo misella, tuam.  
Quid? Sponsus nubit teneræ juvenique puellæ,  
Anniscum posset ducere rite gravem;  
Huic si nupsisset, meliori sorte locaret  
Res talo, fidei conjugiumque suæ.  
Hos & complures sermones ore volutat;  
Pectore qui rixas invidiamque fovet.  
Ast heus? quis Te constituit simul esse loquacem  
Censorem, & ventis verba petulca dare?

**No**nne

Nonne **D**EUS **D**ominus castorum est Autor amorum,  
Et quo vult, hominum flectere corda potest?  
In terris equidem fiunt connubia casta,  
Sed quæ signavit dextera summa DEI. [a]  
In cœlis ut mors, sic uxor cuique notata est,  
Quas non effugies, nec temerare potes. (b)  
Blandiferas alii tædas sectantur, & ipsi  
Fumati fumos vendere sæpe solent.  
Quos flagrare vides sinceri pectoris æstu,  
His ad virgineos est via certa choros.  
Sed quos lentus amor divexat tardaque Nympha,  
Hi contabescunt, proficiuntque nihil.  
Conjugio casto nummos si credis obesse,  
Erras, & vitam negligis ipse tuam.  
An bene nummatam Viduam Tducere nolles,  
Virginis aut ditis promptus adire torum?  
An Natam gratam nummato tradere Sponso  
Nolles? an potius duceret Irus eam?  
Non satis est vixisse sibi, sed vivimus orbi:  
Quisquis obit partes Conjugis, ille sapit.  
Cœlibe nil vita pejus, nec terra, nec æther,  
Nec vicinus egens, quod tibi debet, habet.  
Si juvenis vis amplecti juga sacra puellæ,  
Sin vetulæ: per me sit tibi liber amor.  
Cur autem taxas aliorum vota secunda,  
Atque putas nullum crimen id esse grave?  
Si saperent homines, scortari dedecus esse  
Nossent, & pœnis subdita colla forent.

Si

[a] Vid. hic merito Joh. Bersand. in Venatione Hominum s. Genio Mundi cap. XLI. p. 405. & 406. &c.

[b] Respicitur hic ad proverbium polonicum: Smierć y Zoná každemu náznaczona.

Si saperent homines, non illos fama notaret  
Posthuma, qui solvunt vincula sancta tori.  
Si saperent homines, cum conjugē vivere possent  
pacate, atque foro jurgia nulla darent.  
Si saperent homines, sentirent quodque decorum  
Decastis Sponsis conjugioque pio.  
Sed quo pro labor? mundus non curat honesta,  
Et ridet fidi verba serena viri.  
Jam mihi res Tecum, *Vir magni nominis atque*  
*Cætus nostratis gloria magna DEI.*  
Cum thalamum fati nuper circumstetit horror,  
Vixne duo vel tres tecta adiere tua:  
Tunc fueras luctu nimio mœroreque septus,  
Nec studiis poteras invigilare satis.  
Namque piam, charam Tibi prudentemque Maritam  
Sumpserat e casto mors inimica sinu.  
Hinc calidæ sacræque preces tua castra fuerunt,  
Munieras illis corque pedesque tuos.  
Tædia Te postquam ceperunt longa dierum,  
Incubuitque domûs anxia cura Tibi:  
Pulsasti cœlum precibus sanctisque piisque,  
Iret ut in thalamum Vitgo pudica tuum.  
Non patiebatur Numen tabescere vota,  
Aut glaciem tanti pectus habere Viri.  
Correxit tristes dulci solamine casus,  
Gaudiaque obducto vulnere pensat Amor.  
Dum Thorunenses inter Clarissima Nymphas,  
Tecum connubii jura fidemque colit.  
Rara serenatos cui donat Gratia mores,  
Pulchra verecundus pingit & ora pudor.  
Cui Deus instillat sacrum penetralibus signem,  
Et favet officiis fœmina masque suis.

Candida

Candida condecorat quam pleno Numine Virtus,  
Et centum exornat mens generosa bonis.  
**H**æc celebrat Patrem fidei vitæque probatæ,  
( *E Passenheimo chara propago venit.* )  
**H**æc momenta domus & perspexisse labores  
creditur, officio digna Marita bono.  
**H**æc secum vixit, fucos sprevitque dolosos,  
Mundi, queis alia pondus inesse putant.  
**D**extra Sacerdosis Tibi nunc hanc jungit amica,  
Atque chorus facilis vota secunda canit.  
**R**ecta facis, cum Justa facis, *meritissime Pastor,*  
*Et Senior,* vitæ porrio chara sacræ,  
Quando tuo lateri Virgo decorata pudore, c]  
Et virtute pia jungitur atque datur.  
**G**ratulor ista Tibilatæ commercia vitæ,  
Gratulor illustres ac sine nube dies:  
Et precor, ut clara descendat origine proles,  
Chara Patri, paria commoda, grata DEO.  
**T**eutonica plures Scultetos voce vocatos  
Urbs alit, & dubios non sinit esse viros:  
**D**et DEus, ut surgant *Prætori* nomine clari.  
Sic qui Teutho fuit, rite Latinus erit.

*H*æc Nuptiis solennissimis *Prætoriano-*  
*Lenskianis* cœlitus precatur

*M. Martinus Böhm/Passenheim.*

[c] Summus pontifex in V. T. non debuit, ducere viduam, repudiatam, for-  
didam & meretricem, sed tantum Virginem Levit. XXI. 13. 14. Rationes  
hujus prohibitionis simulque concessionis divinæ notatu dignissimas  
vide in Celeber. Joh. Lundii *Alten Jüdischen Heilighäusern* Lib. III.  
c. XIX p. 485, seqq

**I**n rebus servare modum, queis cunque jubemur  
Naturæ ductu legibus atque Dei ;  
**I**ut sic servato passim moderamine rerum,  
Excedat nemo deficiatque male.

*Hinc*

In medio virtus consistere dicitur omnis,  
Ponitur in vitiis, à medio quod abit.  
Hinc laudandus erit, si quis tristetur ovetque,  
Dummodo non justo fiat id absque modo:  
Vir Summè Reverende, modum servare videris,  
Cum quæcunque doces, promptius Ipse facis.  
Luxisti, sicut par erat, tua funera bina,  
Et nunc disrupto fœdere Conjugii,  
Virgine cum castâ properas ad Vota Secunda,  
Idque facis ductu corsilioque DEI:  
Qui sicut voluit Tibimet prima esse secunda,  
Altera sic etiam Vota secunda volet;  
Si quoque, materie lætandi ex fœdere sancto  
Oblatâ, in Domino lætus eris modicè:  
Hinc dubium non est, aderit quin fructus amoris  
Casti, nimirum pignora chara tori,  
Quæ stirps fulcitur, nomen duratque Parentum,  
Conjugibusque nihil charius esse potest.  
Hæc tibi cum peperisse videbis Vota secunda,  
Sponde, beatus eris: quod Tibi corde precor.

M. MART. BERTLEFFIUS, P.P.

**Q**Vidam Zittaviæ primatum: INTVS MELIORA:  
Ædibus inscrispit, quas modo condiderat.  
Vir Venerande, tuæ nitido splendore coruscant  
Ædes, intus non deteriora tenent.  
Nuncauget decus internum nova Nupta, venusta  
Corporis ac animi dotibus eximiis.  
Sit faustus thalamus, felicem degite vitam,  
Comptæ sic ædes optima quæque tegunt.

Ita animitus gratulatur  
Heinricus Würffel/ Gymn. Coll.

Hinc

**D**O Tibi nunc Votum dono, Senior Reverende,  
Corde quod integro comprecor atque pio :  
Principium, Medium, Finem quoque summus Jova  
Autor Conjugii prosperet atque beet.

Debitæ observantia ergo scripsit  
*hæc*

Jacob Schmid / Coll.

**M**Ysta verende, tuis precibus vis esse beatos  
Omnes, ac cuncta prosperitate frui.  
Nunc ea vota revertuntur feliciter in Te,  
Proque salute etiam rite precare Tua.  
Nam TIBI contingit prudens, pia, comptaque Sponsa,  
Quis neget eximum munus id esse DEI !  
Gratulor hanc sortem, Tua quæ nunc pectora mulcet  
Latitia, atque precor prospera cuncta toro.

Ita ex animi sententia vovet

Paulus Dubbermann / Gymn. Coll.

**Q**Væ multos alios læserunt tristia fata  
Tempore præterito, Te tetigere simul.  
Ast ubi nunc multis adspirat mollior aura  
Et Tibi lætandi maxima causa datur.  
Vir venerande, Tibi divino munere spondet  
Sidere felici sponsa pudica fidem  
His cœptis alnum benedicat ab æthere Numen  
Ac vos omnigena prosperitate beet!

Votivis his lineis applaudit

Jonas Bogmukowski, Gymn. Coll.

•S(O)•